





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-322424-p0002-7

DFG

N. 2, 768.


Ch. 549, 1<sup>a</sup>


III  
103

ORATIO  
RECITATA A D. IACOB<sup>O</sup>  
BO MILICHI<sup>O</sup> DOCTO<sup>R</sup>  
re artis Medicæ, in renunciatione  
gradus D. Pauli Vadini Do<sup>r</sup>  
ctoris artis Medicæ, de  
studio doctrinæ  
Anatomicæ.

VVITEBERGÆ,  
Anno, 1550.

Die Sexto Nouemb.





KOMMUNALBIBLIOTHEK  
POMERAVIA

## ORATIO.



DEO generis humani  
confociatio , admiranda  
Dei sapientia instituta  
est , ut alij alios de Deo  
& de rerum natura do-  
ceant , & uult Deus pu-  
blice inter homines sona-  
re doctrinæ vocem , laudari res bonas , &  
uituperari malas , Vult rectis iudicij con-  
sentientibus regi genus humanum , non  
uult singulos dispersos ac palantes commi-  
nisci proprias opiniones , quarum uarietas  
obruit ueritatem , Deum contumelia affi-  
tit , & distractionem generis humani facit  
infinitam . Cœtus igitur discentium & do-  
centium instituti sunt , & publici congres-  
sus , non solum ad formanda iudicia , sed  
etiam ad frenandam & cohercendam in-  
geniorum petulantiam & uanitatem . Ut  
igitur iuniores uideant & audiant , quæ do-  
ctrinarum genera , quæ artes , & qui artifi-  
ces iudicio seniorum probentur , mos est  
has testimonij nostri renunciationes pu-

A ñ blice

blice facere. Simul etiam in his congressibus habentur orationes, non inani ostentatione, sed ut iuniores commonefiant, quarum artium cognitio expetenda sit, quæ opiniones fugiendæ sint, ut & Deus recte celebretur, & hæc hominum natura copulata Legibus & ueris artibus conservetur. Non igitur conuenire se iuuentus ad inutilia spectacula & ad ludos existimet, sed ad honestam & salutarem commonefactionem. Et quidem in templo ad aram conuenimus, quia gratissimum Deo sacrificium est oratio de rebus bonis. Et simul hic vota coniungenda sunt, ut Deus conditor generis humani, & fons sapientiæ seruet ac regat nos, ut libenter inter nos & ipse uersetur, imò ut filius Dei petit, ut unum in ipso simus.

Cum autem sæpe hic de consideratione naturæ dictum sit, & amplitudo argumenti superet omnium Angelorum & hominū eloquentiam, tunc enim natura reætius cognoscetur, cum in illa cœlesti schola Ideam nobis uniuersi operis, ostendet archis

architectus, alias de alia parte dicimus. Ac nunc alloquar adolescentes, eosq; ad descendia initia doctrinæ anatomicæ adhortabor. Cuius studia quicumq; iuuant, aut excitant, profecto de humano genere preclare merentur. Hæc enim sapientia & moribus utilis est, & ad tuendam ualeutdinem, & ad depellendos morbos necessaria. Quare & illa uetus & sapiens antiquitas huius doctrinæ studiosissima fuit.

Multæ sunt, ut scitis, doctrinæ Physice partes. Exordia quædam usitate in scholis traduntur de Elementis, de certo numero primarum qualitatum, quibus miranda sapientia Deus uagabundæ materiæ quasi metas circumdedit, de loco, de motu, de tempore, de corporibus mixtis, de differentijs causarū. Hæc qualiacumq; exordia cognosci necesse est. Sed tradenda sunt ordine, & non miscendæ prestigiæ inanium disputationum, quales fuerunt illæ veteres de Democriti Atomis, & multæ recentes, an totum distinguatur à partib. simul sumptis, & aliæ. Accidit enim & in

A ij hoc

hoc genere doctrinæ, ingeniorum uanitate, ut relictis materijs necessarijs, quia uidebantur esse notæ, procul quesitæ sint argutiæ, admirationem parituræ propter nouitatem, cum reuera longe maior sit sapientia, mediocris consideratio rerum, quas Deus in natura condidit, in quibus conspici suam sapientiam voluit, quam illæ uerborum cauillationes, quarum nulla est in uita utilitas.

Mox autem ex illis exordijs Physicis ducatur iuuentus ad aspektionem humani corporis, ut nos ipsos, qui certe precipuum opus in hac uisibili natura sumus, agnoscerem incipiamus. Et quamuis dulcedo cognitionis per se inuitat bona ingenia, tamen & utilitatis magnitudine moueamur, quæ quidem in conspectu est. Ratio tuendæ ualetudinis nō potest quotidie ex Medicorū præscriptis peti, sed aliqua ex parte singulis propter quotidiana pericula nota esse debet, ad quam cognoscendam profecto necesse est multorum membrorum positus, substantias, qualitates, & officia scire, ac obseruare quæ quibus foueantur

aut

aut ledantur. Hæc quantulacumq; cognitio prodest ad uitandos multos morbos, sæpe etiam Philosophica diligentia depelli possunt recens nati morbi anteq; cōfirmatur, quibus postea Medici frustra adhiberent remedia. Id fieri non potest nisi corporis humani ædificium aliquo modo notum sit. Sæpe in subitis periculis orificio uentriculi accidunt accidentia, quæ in tempore animaduersa facile arceri possunt, negligita uero necem adferunt.

Est autem manifestus furor, nō moueri cura tuendæ uitæ & ualetudinis, quam & præcipit Deus & adiuuat. Vult. n. & esse genus humanum et in hac mortali uita præparari homines ad æternam cœlestis Ecclesiæ cōsuetudinem. Nec subito uult extingui omnes, sed superstites esse aliquos propter iuniorum educationem, institutiōem, defensionem & gubernationem. Hæc Dei voluntas sæpe consideranda erat, & ut uitæ onera & hos cōmunes labores minus molestè ferremus, & ut hæc fragilia corpora maiore diligentia propter voluntatem Dei & aliorum necessitatem soueremus.

A iiiij Cum

Cum autem nota sit hæc prima utilitas  
considerationis humani corporis , accedo  
ad alias, Nutrix est multarū uirtutum hæc  
ipsa aspectio ædificij multarum in nobis  
partium. Et quia prima uirtus est, agnitione  
Dei opificis , ualde confirmatur adsensio.  
de prouidentia , cum admirandam artem  
in tota fabricatione hominis considera-  
mus , de qua non temere dictum est, ho-  
minem esse paruum mundum , quia  
mens imago Dei est, fastigium hominis  
cerebrum , nerui & spiritus , qui guber-  
nant omnes actiones , coelestem natu-  
ram referunt, Culina gignens alimentum,  
terræ & aquæ similior est. Cor autem qd  
fons est uitæ & uiuifici caloris Soli recti-  
sime conferri existimo. Iam singulæ par-  
tes ita apte distributæ sunt locis, & distin-  
ctæ materia, figuris, qualitatibus, ut ordi-  
ne ac arte conuincamur, hanc rerum natu-  
ram nequaquam casu extitisse, sed esse  
mentem conditricem, quæ de se testimo-  
nium extare in hominum natura, idq; à no-  
bis agnosci & intelligi uelit. Verum est  
hanc totam pulcherrimam mundi machi-  
nam,

nam, templum Dei esse, & impressa uestigia architecti multis partibus, sed eo magis homo templum Dei est, quia cæteræ corpora cum sint sine mente, non agnoscunt artem & opificem. Humana mens agnoscit artem & opificem, & uidet in se ipsa expressissimum de Deo testimonium notícias numerorum & ordinis, discrimin honestarum & turpium actionum, quæ in mente humana quasi æterno septo distinctæ sunt. Res tales ita casu ex atomis confatas esse impossibile est. Itaq; sæpe quasi intuens hominem, & in nobisipsis hæc uestigia Dei lustrans, cohorresco toto corpore, ac doleo tantam Dei neglectionem nobis obrepere, cum tam perspicua & non fallentia testimonia de se nobis impresse rit, sed assensio de prouidentia firmior esse, & reuerentia erga Deum maior, si sæpe & attente hoc ædificium aspiceremus. Iam quanto hoc admirabilius est, quod res diuersissimas in homine quasi in parvū mundum inclusit architectus, Culinam & men tem.

Cum homo conditus sit ad imaginem  
A v & cele

& celebrationem Dei, & ut fruatur eius  
sapientia & bonitate in omni æternitate,  
quid opus est culina, quæ erit ociosa in  
illa æternæ Ecclesiæ consuetudine, Sed  
haud dubie facta est harum dissimilimarū  
rerum copulatio, culinæ & mentis, hanc  
ipsam ob causam, quia Deus in hac uita il-  
lius æternæ lucis & uitæ initia uult accendi.  
Vult nunc quoq; nos esse sua templa, qua-  
re studia sint ardentiora, quæ uiā ad eius  
agnitionem ostendunt, & sit cura maior  
regendi mores, ita ut hæc ipsa Dei vox fo-  
nans in nostris mentibus præcipit. Nec  
tantum conuincit nos hic ordo, ut esse  
Deum fateri cogamur, sed etiam qualis sii  
monet, & imaginem gubernationis diui-  
næ in nobis circumferimus. Tota anti-  
quitas hoc modo distribuit hominis uires,  
**dixit in nobis esse τὸ ἕγεμονικὸν, τὸ δυματόν,**  
**ἢ τὸ θρηπτικόν.** ἕγεμονικὸν continet notici-  
as rectrices uitæ. Hæ cum discernant ho-  
nesta & turpia, ostendunt qualis sit Deus,  
**Videlicet, sapiens, uerax, bonus, benefi-**  
**cus, iustus, castus, liberrime agens, uindex**  
**scelerum, talem intelligimus esse illam opti-**  
mam

iam mentem architectricem, quæ quidem & nos uult cum archetypo cōgruere.

Et ut discrimē hoc honestarum et turpū actionū firmius esset, addidit θυμικὸν in corde æterno & immutabili ordine, dolores exīciales in corde uiolationem discriminis illius comitantur, ut naturæ extinctio iudicium architecti ostendat. Vides enim in homine pictam esse formam iusticiæ, prælucet in ἡγεμονικῷ recta noticia, & comes est uindex iustissimus, & implacabilis dolor in θυμικῷ, horrendis pœnis delens naturam propter scelera, & quanquam nunc in hac prauitatem naturæ alij etiam uicioſi impetus in corde accenduntur, tamen etiam cum id sit, semper extremus & ualentissimus comes est hic uindex, qui est diuini iudicij custos & executor. Hæc Dei uestigia in nobis adeo expressa & conspicua sunt, ut plusquam Cyclopicus furor sit, nolle ea agnoscere, & qui sese aspiciunt fateri coguntur hæc quæ dicimus uerissima esse.

Est autem in Deo & hoc decus, quod est agens liberum, eius boni imaginem in nobis

nobis etiam conspici voluit, quod & ad gubernationem morum utile est, obtemperant τῷ ἡγεμονικῷ nerui, & motus voluntarij instrumenta, ita ut ciere membra externa suo arbitrio possit. Retrahit Achillem τὸ ἡγεμονικόν, & manus cohibet ne interficiant Agamemnonem, sed gladium rursus in uaginam condant. Hæc libertas in nobis reliqua est, & ut sit frenatrix errantium cupiditatum, & cōmonefaciant nos, Deū uere esse agens liberum, non enim à serua natura quale numen fingunt Stoici, liberaum agens condi potuisset.

Præterea sunt & aliæ in nobis imagines Dei impressæ nobis, ut sint & commonefactrices de ipso, & sint uirtutum semina & stimuli uidelicet, σογγαί, amor sobolis in parentibus, & benevolentia in sobole erga parentes, misericordia erga calamitosos, defensio supplicum, amiciciæ æqualum & honestis officijs coniunctorum. Etsi autem Stoicis ridiculum uidetur Deo tribuere affectus, tamen quoties in calamitate sobolis parentes sui amoris & doloris vulnera

vulnera sentiunt, cogitent similem amorem esse in Deo erga filium, & erga nos, nam de filio expresse dicit, Hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Vera non frigida, non simulata dilectio est in Deo erga recte inuocantes ipsum, & uera & ingens ira, quæ est iusticiæ uindex & custos. Sunt in aliquibus & Heroicæ quedam flammæ, uel sapientiæ, ut in uaticinantibus & excellentibus artificibus, quorum iudicia similia sunt uaticinijs, uel fortitudinis, ut in Alexandro. Hi motus etiam ostendunt familiaritatem Dei cū hominibus. Tam multa testimonia de Deo cum in nobis cernimus, confirmari assensionem de prouidentia nihil dubium est. Hæc autem assensio fons est multarum aliarum uirtutum. Ut autem hæc testimonia utcumq; cerni & intelligi possint ædificium hominis aspici oportet.

Cum autem agnoscimus hanc mirandam similitudinem noticiarum in mentibus humanis & in diuina, cogitemus nos uere Deo curæ esse, cum res in ipso optimas,

mas, scilicet, sapientiae suæ radios, in nos  
trasfuderit. Sunt & hæ diuinitatis umbræ  
in nobis, quod nostræ mentes cogitatione  
formant imagines, & quod spiritus natus in  
corde affectuum flammæ spargunt. Hæ  
propositæ sunt, ut cum audimus filium  
Dei nominari Patris æterni imaginem,  
*νοὸς λόγος*, gigni eum cogitatione disca-  
mus, Spiritum uero flammam esse diuini  
amoris. In harum maximarum rerum con-  
sideratione nos adiuuari adspectione natu-  
ræ hominis fatendum est, Ideo enim uestigia  
diuinitatis multa nobis impressa sunt, ut  
agnoscamus architectum, & tota nostra ui-  
ta ad normam diuinæ mentis congruat, cu-  
ius in nos similitudo transfusa est. Addi-  
tum autem est *πρεττημος* superioribus virib.  
quo opere testatur architectus se etiam uitæ  
corporum consulere, se uelle nutrire & fo-  
uere humanum genus. Ita prouidentia di-  
uina & amor erga nos in omnibus ædificij  
partibus conspicitur.

CONFIRMATA autem assensione de pro-  
videntia, postea sequuntur cæteræ uir-  
tutes

tutes quarum normæ lucent in mentibus.  
Tueri hoc Dei templum studeamus, non  
cedibus, non intemperantia uiolemus, nō  
polluamus libidinum confusionibus. Vi-  
demus singulas partes ad ordinem, & mo-  
dum certum factas esse. Has ita regere, ut  
earum natura postulat, iusticiam esse intel-  
ligamus. Hic si de singulis partibus dicen-  
dum esset, quæ diuersarum uirtutum offi-  
cijs seruiunt, nimis longa futura esset ora-  
tio. Sed tamen vos adhortor, ut iam men-  
tes uestræ ipsum hominem intueantur, &  
in partium substantijs dissimilitudinem cō-  
templamini. Stat Cerebri fastigiū & suas  
habet cavitates spirituū plenas, perinde ut  
hoc cœlū ambiens molē reliq̄ uniuersam.  
Natura etiam Cerebri similis est cœlesti.  
Et fiunt in eo actiones mirandæ, cognitio,  
ratiocinatio, conseruatio imaginum in me-  
moria, recordatio, Quas actiones fieri spi-  
rituum ope non dubium est, & esse quasi  
pulsationes spirituum ad cerebri corpus.  
Nascitur autem spiritus in corde, & poste<sup>2</sup>  
nouas uires, nouam lucem accipit in Cere-  
bro. Hæc eis nondum introspicimus,  
**tamen**

*AK*  
*PL*  
*103*

ramen existat in nobis tantorum operum admiratio, & simul opificij & conditoris reuerentia excitetur. Non cœli puritas, non stellarum fulgor, non solis claritas uincit hanc flamnam, quæ nominatur spiritus tum uitalis tum animalis, Hanc rem nobilissimam & sedem Dei in nobis, & præstantissimarum actionum effectricem agnoscamus, & quantum possumus, nostra diligentia foueamus.

Turbatur autem multipliciter, mala uiscus ratione, intemperantia, incendijs libidinum, immoderatis æstibus adfectuum iræ, odij, amoris, dolorum, adflatu malorum dæmonum. Ardet Marius cupiditate uindictæ, & odio Syllæ ac cæterorum Principum. Hoc æstu turbidorum adfectuum, incensi spiritus impellunt eum, ut nec in cogitando, nec in agendo seruet ordinem, ruit furenter & seuiciam explet. Et hanc ipsam spirituum confusionem & rabiem diaboli magis etiam ut uenti agitant. Ita furores orti & aucti totas gentes perdunt. Hec pericula intelligenda sunt,  
Vt in

X 2212 A 99



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-322424-p0019-5

DFG



N. 2,768.

A. K. 549, 1<sup>a</sup>

II u  
103

ORATIO  
RECITATA A D. IACOB<sup>O</sup>  
BO MILICHI<sup>O</sup> DOCTOR<sup>O</sup>  
re artis Medicæ, in renunciatione  
gradus D. Pauli Vadini Do<sup>r</sup>  
ctoris artis Medicæ, de  
studio doctrinæ  
Anatomicæ.

VVITEBERGÆ,

Anno, 1550.

